

## Papsturkunden in Frankreich. Band 5: Touraine, Anjou, Maine und Bretagne., Nr. 192

Lucius episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis abbati et fratribus sancti Acheoli salutem et apostolicam benedictionem. Cum ad uniuersas Dei ecclesias aciem nostre teneamur considerationis extendere, loca tamen religiosa tanto amplius diligere ac in suo iure fouere debemus, quanto dignior in eis exhibetur domino famulatus. Eapropter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus annuentes monasterium uestrum cum omnibus, que in presentiarum iuste possidere dinoscitur uel in futurum rationabilibus modis poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem quatuor annuos solidos, quos in trauerso Longe Aque ex dono Roberti filii Gerberte estis rationabiliter assecuti, ex dono Walteri IIIor solidos a Ueuellon(e) et ab Ascheno filio suo X solidos in eodem uobis trauerso collatos, partem, quam habetis in decima de Huy, decimam de Wiskegni, altare sancti Martini de Spineto et preterea dimidium iugeris terre, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut nulli omnino hominum etc. Si quis autem etc. Dat. Verul. VI kal. maii.